

† Fr. Iosephus (Aloysius) Jacksa (1865-1937)

(Vice-*Prov. de Oakland*)

Fr. Aloysius piis parentibus natus est d. 20 Mart. 1865 in illa Poloniae parte, quae tum temporis ad Austriam pertinebat. Annos natus duodeviginti (a. 1893), in Foederatos Americae Status venit, in urbem S. Ludovici, eodemque anno petivit suam admissionem ad SS. Redemptoris Congregationem, quam in patria cognoverat. Secum ad familiam nostram portabat hortulani, fabri lignarii pictorisque dotes, et, quod pluris aestimandum, virtutes sinceræ humilitatis et oboedientiae. Poterat quoque cum Psalmista dicere: *Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae* (25, 8). Quas virtutes diuturnae religiosae vitae annis auctas ac perfectas esse quid opus est dicere?

Fr. Aloysius, qui d. 19 Febr. 1899 vota Redemptoristae nuncupavit, in multis domibus Provinciae S. Ludovici eiusque Vice-Provinciae plus minusve diu constitit, videlicet annis 1894-1896 S. Ludovici, 1896-1898 in Denver, 1898-1907 Chicagiae ad S. Alfonsi, 1907-1916 Grandormi, 1916-1917 in De Soto, 1917-1925 Novae Aureliae, 1925-1928 in Seattle, 1928-1929 in Coeur d'Alene, 1929-1937 in Fresno. Plerumque ei sacristae officium incumbebat, quod ceteroquin ipsi prae ceteris gratum erat, et cui apprime idoneus erat ob insignem suam pietatem et modestiam atque munditiae amorem. Etiam ceterae eius qualitates ad domus Dei

decorem adhibere sciebat, sive diligenti cultu florum, sive artificiosa constructione praesepium vel altarium, sive aliter. Pro multis ecclesiis non nostris confecit altariola Matris de Perpetuo Succursu.

Continuum Divinae Maiestati placendi desiderium, quo S. Gerardus noster ardebat, etiam in Fr. Aloysio vivum erat. Hinc eius exacta Regulae observantia, fraterna caritas amorque proximi. Verbo et exemplo propius ad Deum trahebat, quotquot in vitae decursu sibi obviam factos videbat.

Hic homo gracilis infirmitates minores facili negotio vincebat, nec negligebat debitum valetudinis curam. Ultimis tamen annis articulorum doloribus vexabatur, et postremo tempore laborabat ex renibus et glande prostata. Quinimmo in ipso itinere, quo mense Iulio anni superioris civitatem S. Francisci petebat, hoc malo adeo correptus est, ut statim in nosocomio urbis Oakland chirurgicae operationi subiiciendus esset. At nihilo secius iam post paucos dies finis venit, d. 20 Iul. 1937.

Quam carus Fr. Aloysius confratribus esset et exteris, apparuit in brevi eius morbo et post obitum. Quicumque poterat, eum in Hospitali Providentiae invisebat. Cadaver ad domum Fresno portatum est, ubi ipse Pl. R. P. Vice-Provincialis Petrus Foerster d. 23 Iulii celebravit sollemnem Missam exsequialem, choro sacerdotum scholam cantorum efformante, et R. P. Minister Leo Kulleck in funeris sermone exposuit, quantum valeat vita humilis Fratris laici eiusmodi. R. I. P.